f *Nullum præſtatur ſeruitium.*] Vide & plenius de communi illa opinione per Rol. in conſ. 23 num. 10. qui ſub num. 18 quid vbi requiritur iuramentum fidelitatis, & fuſius num. 35. cum iurib. ſeq. vbi loquitur in clerico beneficiato. *Giach.*

Pro quo nullum præſtatur ſeruitium.] Tametſi
21 in † feudum francum, id eſt, à ſeruitijs liberum, feminam ſuccedere, præter Clarum hoc loco noſtrum, & ab eo relatos, cenſent Roman. ſingular. 178. incipiente, hodie femina, & conſ. 33. & conſ. 367. numer. 12. Alexand. conſ. 29. nu. 1. & conſ. 30. num 24. vol. 1. Vvrmbſer. de feud. obſeru. 14. verſ. ſicut etiam videmus Paris de Puteo, de redintegrat. feud. cap. 108. nu. 7. Ruin. conſ. 24. nu. 9. verſ. & ſimiliter. & conſil. 38. nu. 7. vol. 1. Grat. conſ. 9. num. 153. vol. 1. Vulteius d. lib. 1. de feud. cap. 9. nu. 41. pag. 410. Hartman. Piſtor. d. lib. 2. q. 34. nu. 29. 33. & ſeqq. Rudinger. d. lib. 1. cap. 33. Ioan. Campeg. in tract. de dot. luc. q. 42. Ant. Gabr. Roman. lib. 6. commun. opin. tit. de verb. ſignificat. cōcluſ. 6. numer. 59. & ceteri ab his memorati: contrariæ tamen ſententiæ, vtpote veriori, ſubſcribunt Martinus Laudenſ. in d. cap. 1. §. & quia. num. 29. & ibidem Præpoſ. nu. 6. verſ. vos tenere contrariū. de his, qui feud. dar. poſſ. Iacob. de S. Georg. de feud. ſuper verb. & feminis. nu. 5. Duaren. de feud. c. 10. num. 7 Hanneton lib. 2. feud. cap. 8 Z. d. epitom. feud. par. 8. nu. 44. Schrader. d. tract. feud. part. 7. cap. 4. num. 11. Borcholt.

inueſtituræ ipſius tenore eſſent expreſſe vocati maſculi, non autem feminæ. Nam eo caſu crederem feminas eſſe excludendas, etiamſi maſculi non extarent: principaliter enim in ſucceſſione feudorum attendimus tenorem inueſtituræ, in quaſi ſolū eſſent nominati maſculi, appareret de mente concedentis, quod feminæ non admitterentur. Addunt alij quod ad hoc, vt femina poſſit in feudo empto ſuccedere, duo requiruntur. Primum, quod feudum fuerit iuſto pretio emptum. Secundum, quod pro ipſo feudo nullum ſeruitium ſit præſtandum. Et hanc dicit eſſe communem opin. Socin. iun. conſ. 65. poſt num. 16. verſ. vel tertio. lib. 1. Sed hæc declaratio in ſecundo requiſito mihi non placet, quia eam tenendo, redditur omnino ſuperflua, & inanis prædicta concluſio: Nam femina ſemper eſt capax feudi, quando pro eo nullum ſeruitiū præſtatur, ſiue ſit emptum, ſiue non, vt ſtatim dicam.

7 *Vlterius quæro, an mulier ſit capax feudi, pro quo nullum*
f *præſtatur* [f] *ſeruitium? Reſpo. quod ſic. Ita tenet Bal. in cap. 1 §. quia, num. 19. qui feud. dare poſſ. & hanc opin. dicit eſſe communem Curt. iun. in dict. 1. reg. verſ. 5. limitate. prout illum refert Pariſ. conſil. 4. num. 19. lib. 1. & conſ. 12. eod. volum. & conſ. 23. nu. 30. eod. volum. niſi tamen verba inueſtituræ repugnarent.*

8 *Item quid ſi* [g] *feudum con-*
g *ceſſum ſit pro certo ſeruitio, quod ita poteſt præſtari per feminam ſicut per maſculū, nunquid ad tale feudum femina admittetur? Reſpon. quod ſic. Ita tenet Iacob. de Beluiſ. in cap. 1. §. quin etiam, in tit. Epiſcopū, vel Abbatem, quem ſequuntur omnes Feudiſtæ, vt dicit Gozad. conſ. 56. nu. 18. Et eſt communis limitatio, vt dicit Curt. in d. prima regula, verſ. Nono fallit. Et licet hæ duæ concluſiones forte in puncto iuris paterentur aliquam difficultatem, ex quo non ſola præſtatio ſeruitij eſt cauſa excludendi feminas a ſucceſſione feudorum: tamen in practica non eſſet ab eis recedendum, niſi (vt dixi) verba inueſtituræ repugnarent vel conſuetudo contrariam interpretationem recepiſſet, a qua, præſertim in cauſis feudalibus, nullo modo eſt recedendum, vt ſtatim dicam.*

9 *Sed quid ſi adſit conſuetudo in aliqua prouincia, vel ſtatutum diſponens, quod feminæ poſſint in feudis ſuccedere, nunquid in ipſa prouincia feminæ erūt ad ſucceſſionem feudorum admittendæ? Reſpon. quod ſic. Et ita communiter concluditur vt ait Pariſ. conſ. 21. num. 13. lib. 1. Nam in ſucceſſione feudorū potiſſime attendimus conſuetudinem. Cum enim feuda ipſa à principio introducta fuerint per conſuetudinem; merito debent etiam ab ipſa conſuetudine regulari.*

Sed pone, quod Princeps, vel Imperator velit diſpenſare, quod femina poſſit in feudo ſuccedere, quæro, an poſſit hoc facere in præiudicium agnatorum, qui ſucceſſuri eſſent in feudo? Reſpon. quod non. Et ita cōmuniter concludunt DD. vt dicit Socin. iun. conſil. 76. num. 18. lib. 1. Non enim poteſt Princeps auferre ius alteri quæſitum, ſed dato quod poſſet, ſaltem non deberet hoc Princeps facere.

d. Comment. cap. 7. nu. 68 D. Bocer. d. c. 3. quæſt. 29. Schneidevvin. de feud. p. 6. nu. 18. Roſenthal. d. c. 7 concluſ. 34. nu. 11. & alijs, quos hic recitat. Qui ijs potiſſimum mouentur argumentis, quibus paulo ante oſtenſum eſt, quod etiam ab emptitij feudi ſucceſſione feminæ repellantur. Quæ argumenta, vt & reſolutiones obiectionum quarundum, latius expoſuimus ad principium tit. Inſtitut. de hæredi, quæ ab inteſt. defer. nu. 121. & ſeqq. *Harprec.*

g *Quid, ſi feudum conceſſum ſit pro certo ſerui-*
22 *tio.*] Quod † femina patri ſuo ſuccedat in feudū, pro quo ſeruitium eiuſmodi eſt præſtandū, quod femina non minus decenter & cōmode, quam maſculus, explicare poteſt, vltra Clarum hic, & ab eo citatos, tenēt Decius conſ. 169. nu. 4. Cuman. conſ. 194. Roman. conſil. 367. num. 12. Corn. conſil. 16. nu. 9. & conſ. 239. num. 4. vol. 1. Gozad. conſil. 56. nu. 18. Pariſ. conſ. 4. nu. 18 vol. 1. Rol. à Valle conſil. 23. num. 7. vol. 1. & conſ. 41. nu. 8. vol. 4. Menoch. conſ. 65 nu. 19. vol. 1. Decian. cōſ. 58. nu. 39. vol. 2. Vulteius d. lib. 1. de feud. cap 9. num. 42. & Hartman. Piſtoris d. lib. 2. q. 34 num. 37. Sed contrarium defendunt Andreas de Iſern. ad tit. 23. in quib. cauſ. feud. amitt. lib. 2. F. Curt. Iun. in tract. feud. part. 3. num. 12. Z. in epit. feud. part. 8. nu. 49. Duaren. d. cap. 10. nu. 7. Schrader. d. tract. feud. part. 7. cap. 4. num. 10. Idemque & nos probauimus ad d. principium tit. Inſtitut. de hæreditat. quæ ab inteſt. defer. nu. 131. *Harpr.*

QVAESTIO LXXIV.

SVMMARIA.

Ex Claro.

1 *Filius exhæredatus an ſuccedat in feudo.*

Ex Additionibus.

1 *An filius exheredatus ſuccedat in feudum.*
2 *Nulla ordinatio defuncti in feudo valet.*

QVÆST. LXXIV.

1
a *QVæro, an filius exhęredatus* [a] *poſſit in feudo ſuccedere? Reſpond. ſecundum Iacob. Ardizo. in ſumma, de ſucceſſione feudi, ſub Rubr. an filius exhęredatus, poteſt in feudo ſuccedere, rumpendo teſtamentum per querelam inofficioſi, ſi vero ſit iuſte exhęredatus, non ſuccedit in feudo. Et hanc opin. dicit eſſe communem Curt. iun. de feud. in 3. parte principali, in materia ſucceſſionis deſcendentium, q. 3. quem refert. Pariſ. conſ.*

1. nu. 7. lib. 1. Et in propoſito facere uidetur, quod dicit Z. de feu. in 8. par. verſ. De exhęredato, quod eſt conſequentia in feudis recepta, ex quibus cauſis filius poteſt exhęredari, ex eiſdem, poteſt etiam feudo priuari, c. 1. §. prędictis modis, quæ fuit prima cauſa ben. amit. Reſolutio huius quęſtionis pendet ab illa, nunquid filius poſſit feudum retinere ſine hæreditate paterna, propterea dic: Aut exheredatio eſt nulla, & non eſt in conſideratione: Aut eſt valida, et tunc, aut ſumus in caſibus, in quibus filius poteſt habere feudum, etiamſi non ſit heres patris, et pariter exheredatio non eſt in conſideratione, quo ad ſucceſſionem feudi: Aut ſumus in caſib. in quibus requiritur, quod ſit ēt heres ipſius patris, & tunc iſte filius iuſte exheredatus non poteſt in feudo ſuccedere. Neque §. prædictis modis, facit in propoſito: quia aliud eſt dicere, quod dominus poteſt vaſallum feudo priuare ex omnib. cauſis, ex quibus pater poteſt filium exheredare, vt ibi; aliud eſt dicere, quod pater poteſt exheredando priuare filium feudo, quia ſi eſſet feudum ex pacto, & prouidentia maiorum ſuorum acquiſitum, non poſſet vaſallus de eo aliquo modo in teſtamento diſponere, vt dixi ſupra queſt. 40.

ADDITIONES.

a EXhæredatus.] Hic etiā ſcias, quod filius nō poteſt habere legitimā in feudis, in quibus primogenitus ſuccedit. Commune vide per Cardin. Pariſ. in conſ. 13. nu. 30. lib. 2. & in collecta mea commun. opin. verb. filius num 61. *Giach.*

An filius exhæredatus poſſit in feudo ſuccedere.]
1 Quamuis † filium iuſte exhæredatum ad feudi ſucceſſionē minime admittendum eſſe, opinen-
tur

tur Iac. de Ardiz. hic à Claro relatus, Blanc. in ſum. ſua feud. lib. 3. c. 1. n. 11. Iac. de S. Georg. in tract. de feu. in uerb. præſentes, n. 9. & ſeq. Petr. Rauenn. in tit. 1. §. & quia vidimus. ibidemque Frider. Schench. nu. 19. lib. 1. F. Mozz. de ſubſtātiali. feu. nu. 72. Loffred. conſ. 1. nu. 178. & ſeqq. Schneideuuin. in Epito. feu. p. 6. tit. de ſucceſſ. ab inteſta.. n. 27. cum ſeqq. & Forcat. de feud. c. 5. n. 17. opinionē tamen contrariam, tanquam ueriorem, ſequi malūt Andr. de Iſern. in tit. 1. de feudi cognit. §. ſciēdum, nu. 5. lib. 2. F. Pariſius conſil. 1. nu. 7. & conſ. 2. num. 29. uol. 1. Schrader. in tract. feudal. par. 7. c. 2. nu. 36. & ſequentib. Borchol. in Comment. ad conſuet. feud. cap. 7. par. 2. n. 61. D. Bocer. in tract. de iur. ſucced. in feud. c. 3. q. 11. Vulteius lib. 1. de feud. cap. 9. nu. 96. & Ruding. libro primo uariar. lectio. iur. feud. cap. 14. num. 9. & ſequenti.
2 Tum, † quia regula iuris feudalis expreſſa eſt, quod nulla ordinatio defuncti in feudo manere, & ualere debeat. tit. 8. de ſucceſſione feudi. in princ. libro prim. F. Tum quia licet per patris operam ad filios quoque feudū pertineat, argument. tit. 14. de feudo Marchiæ, §. primo, libro primo F. attamen domini beneficio id maximè accepto ferendum eſt, qui illud etiam in filios collatum uoluit, tit. 13. in quibus cauſ. fend. amitt. §. ultimo, libro ſecundo, F. Huc referēda ſunt, quæ annotauimus ſupra ad quæſt. 40. eaque de re uberius diſputant, poſt alios, Henricus à Roſenthal. in tractat. feud. cap. 7. concluſione decima, & Dn. Bocerus dicto cap. 3. quæſt. 11. 12. & 13. *Harpr.*

QVÆSTIO LXXV.

SVMMARIA.

Ex Claro.

1 *Filij fratrum an ſuccedant in ſtirpe, vel in capita.*
2 *Et quid ſi vocentur ſine patruis.*

Ex Additionibus.

1 *Filij fratrum cum patruo in ſtirpes ſuccedunt.*
2 *Quomodo filij fratrum ſoli ſuccedant.*
3 *Textibus iure nouiſſimo ſpecialiter non correctis merito ſtatur.*

QVÆST. LXXV.

1 *QVæro, vltimo loco moriens reliquit nepotes ex multis eius fratibus præ-*
a *defunctis, nunquid* [a] *iſti filij fratrum ſuccedent in capita, an autem in ſtirpes? Hec quæſtio in alijs ſucceſſionibus ab inteſtato multum inter DD. controuertitur, vt dixi ſupra, lib. 3. §. 1. vbi tenui magis communem opin. eße, quod ſuccedant in ſtirpes, & non in capita. Sed quid dicemus in feudis? Reſp. quod ſi iſti filij fratrum veniant ad ſucceſſionem feudi ſimul cū patruo, ſcilicet cum fratre vaſalli defuncti, veniunt in ſtirpes, et non in capita. idemq; ſi veniant ad ſucceſſionem aui ſimul cum patruo, & hoc eſt indubitatum ſecundum omnes, vt atteſtatur Aluarot. in cap. 1. in princ. nu. 2. de ſucceſ. feud.*

2 *Difficultas eſt, quando vocan-*
b *tur* [b] *ſine patruis, & hoc caſu ſunt opin. inter DD. Nam Iac. Ardiz. in ſumma, tenuit, quod*

ADDITIONES.

a NVnquid iſti filij fratrnm ſuccedant in capita.] Illud expedi-
1 tum eſſe videtur: ſi † vaſallus moritur relictis fratribus, & alterius fratris filijs, hos fratris filios, in locum patris eorum in ſtirpem ſimul cum patruo in feudū antiquum ſuccedere, & tantam aſſequi portionem, quantā eorum pater, ſi in humanis eſſet, conſequeretur, per text. in titul. 14. §. 1. verſ. ſi verò, & tit. 19. §. 1. ibi in patris vicem ſuccedit. lib. 1. F. & tit. 11. §. his verò deficientibus. libro 1. F. Borcholt. in cōment. in conſuet. feud. c. 7. par. 2. n. 81. Curt. Iun. de feud. par. 3. membr. 3. nu. 60. Sonsbecc. in comment. in vſus feud. par. 9. nu. 98. Duaren. de feud. c. 11. num. 13. Rudinger. libro 1. var. lect. iur. feud. c. 54. num. 1. Mynſinger. centur. 3. obſeru. 94. Vult. lib. 1. de feud. cap. 9. nu. 109. Et latius expoſui ad princ. tit. Inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt. deferunt. num. 30. & ſeqq. *Harprec.*

b *Quando vocantur ſine patruis.*] Adde, & vide per Ruin. iun. in conſ. 410. *Giach.*

Quando vocantur ſine patruis.] Si vaſallus defunctus nullum fratrem, vel vtrinque fratrum filios diuerſo numero reliquerit, an huiuſmodi fratrum filij in ſtirpes, an uerò in capita patruo ſuccedant, ualde controuerſum fuit? Quæ quæſtio cum iure feudorum deciſa non reperiatur: in ea expedienda ius cōmune ſequendum erit, per text. in titulo primo, §. ſtrenuus autem, lib. 2. F. Iure autem communi duorum, vel plurium fratrū prædefunctorum liberos, cum ſoli extāt, in feudum paternum in patruo ſuo ſine legitima prole defuncto, in capita ſuccedere, non in ſtirpes, conſtat ex l. 2. §. ſecundo, ff. de ſuis, & legit. hæred. l. 1. §. final. ff. ſi pars hæredit. petat. l. penult. in fine, C. de legitim. hæredibus. & §. hoc etiam 4. Inſtitut. de legitim. agnatorum ſucceſſ. item Vulp. in fragm. tit. 26. §. agnatorū. & Caio. li. 2. Inſti. tit. 8. §. item ſi moriatur
2 quis, &c. Qui text. cum non ſint nominatim correcti per Nonell. 118. c. 3. merito illis adhuc ſtādum erit, arg. l. pręcipimus 32. §. vlt. C. de appellation. & l. ſancimus 27. ibi, quod enim non mutatur, quare ſtare prohibetur, C. de teſt. Quinimo eadem ſententia nō difficulter euincitur ex d. Nou. 118. c. 3. verſ. huiuſmodi verò priuilegiū cū verſ. ſed & ipſi, &c. ubi Iuſtin. de nepotibus ex fratre, qui cum patruis in ſucceſſione concurrunt, dumtaxat loquitur, diſponitque, ut fratrum filij cum patruis in ſtirpes ſuccedant iuri ræpreſentationis. Ergo argumento a contrario ſenſu ducto, ſi fratrum filij cum patruis non concurant, ſed ſoli exiſtant, in capita, non in ſtirpes, patruo defuncto ſuccedent, argum. l. 1. ibi, huius rei fortiſſimum, ff. de oſſic. eius, cui mand. eſt iuriſd. & l. qui teſtamento 20. §. mulier. 6. ff. de teſta. qui teſtam. facere poſſunt. Atque hanc deciſionem non ſolum Galliæ Parlamenta receperunt: ſed & Catoli V. Imper. conſtitutio Germanica, in Comitijs Spirenſibus Anno 1529. promulgata, expreſſe confirmauit. Porro tum auctores huius ſententiæ fere innumeros, tum argumenta, quę eidem obſtare uiden-
tur